

inter Capitulum et Communitatem. In Firmana, Suspensionis Canonicatus 23. Maii 1827. ad 1. Dub.

(164. Iisdemque Canonicis seiscitantibus in casu negatae suspensionis quomodo occurrendum esset impensis pro necessaria reparatione Turris et Ecclesiae, rescripserunt provisum in primo Dubio. In eadem ad 2. Dub.

(165. Cum Alexander Testa Canonicus Basilicae S. Mariae in Cosmedin inter Capellanos, quos dicunt Communes et Acolytos Ceroferrarios Pontificii Sacelli, deinde inter Capellanos adstantes cooptatus impetrasset indultum abessendi a Choro pro diebus et horis quibus suo munere in Pontificali Sacello perfunderetur, ita tamen ut de praecisa necessitate vacandi conscientia ipsius onerata denunciaretur, contenderetque se eodem frui posse toties quoties ad Pontificale Sacellum potius quam ad Chorum sese contulisset, licet per Collegii Acolytorum Decanum certa quaedam dispositio prodidisset qua Acolyti bifariam distributi in memorato Sacello alternis vicibus praesto esse adigebantur, Emissi Patres iudicantur illum gaudere exemptione juxta votum Emissi Diaconi. In Romana, Indultum 23. Novembris 1827.

(166. Ne quid damni caperent fideles qui Segestam incolunt, S. Ordo respuit preces Archipresbyteri, et Archidiaconi deposcentium, ut remotis Primicerio, et Pœnitentiario, tota animarum cura sibi crederetur: addiditque duo illa officia vacantia quam primum ab Episcopo instaurari. In Brugnaten. Curæ Animarum 31. Januarii 1835. ad 1, 2, 3 et 4. Dub.

(167. Consulendum esse SSmo pro Josepho Bonaccorsi in Cathedrali Pergulana Canonico Pœnitentiario absolvendo a fallentis chori cum Comitibus Communitatis praesens adesse debet, constituit Sac. Congregatio. In Calien. et Pergulana 31. Jan. 1835.

(168. Cum evidens adpareret ejus Ecclesiae bonum, quæ Eugubii D. Christinae nomine venit; juxta Episcopi votum concessit Sac. Cong. illis Canonicis, qui ex diversa aderant fundatione, perfectam quoad omnia communionem, facto verbo cum Smo. In Eugubina 21. Febr. 1835. ad 1. Dub.

(169. Ex Cap. 3. Sess. 24. Conc. Trid. declaravit Sac. Congr. Canonicos Pisanos ad hoc selectos ut Archiepiscopo Dicecesim perillustranti comites adsint, prius ab ipso esse adprobandos, ut in Pisana, Visitationis 28. Mar. 1835. ad 2. Dub.

(170. Cum ab Episcopo nominatus fuisset ad Canonicatum in Collegiata Munduriae Augustinus Guarini Munduriae natus, sed civica parentum origine destitutus, et ejusdem Canonicatus proventus sibi addici a die captæ possessionis contra Capituli adversantis vota obtinuisset Episcopali sententia, pugnatum acriter est, appellationis vi, de hujus sententiae validitate. Ac contendente Capitulo vetera Ecclesiae statuta civicam parentum qualitatem exigentia, ut quis Ecclesiae participare frui posset, in suo adhuc robore extare, ac proinde in Guarinium esse attendenda:

Obtestante vero Guarinio statuta hujusmodi per Breve *Impensa* S. M. Pii VII. de A. 1819. fuisse abrogata, et Canonicorum elationem Episcopi arbitrio fuisse remissam; S. Ordo ut tutius procederet rescripsit — Dilata et scribatur Nuncio Apostolico ad mentem. In Oritana Participationis 29. Apr. 1836.

(171. Conditionem a Capitulo Civitatis Castellanae adpositam Canonicatibus, quos erigere mandaverat Ursula Audosilla, confirmavit S. C. In Civitatis Castellanae jurium Canonicatum die 16. Julii 1836.

(172. Collegiatae Ecclesiae Balneariae Canonicis (ab institutore Sergiani nuncupatis) ob attritam reddituum substantiam postulanti- bus binorum vacantium Canonicatum suppressionem; seu suspensionem, vel reductonem Choralis servitii. S. C. rescripsit: Dilata, et audiatur Episcopus super novis postulanti- bus, qui referat (bini enim illi Canonicatus pendente recursu fuerant collati) qua auctoritate, et a quo Canonicatus vacantes fuerint collati, pendente coram S. C. de eorumdem suspensione recursu, super quo idem Episcopus eandem S. C. instructam reddiderat sub diebus 19. Novembr. 1832 et 12. Septemb. 1835. In Viterbien. Unionis, et reductionis Servitii Chori 16. Julii 1836.

(173. Beneficium Canonicale S. Charoli a Charolo Tornelli in Basilica Gaudentiana fundatum requirere Subdiaconatus Ordinem ex germana testatoris voluntate, declaravit S. C. In Novarien. jurispatron. die 13. Aug. 1836. ad 3. Dub.

Jubilationis indultum S. C. impertivit, facto verbo cum SSmo Francisco Donati Collegiatae oppidi Mercatelli Canonico, quia, senio et adversa valetudine confectus erat, atque diuturnum Chori servitium per 35. annorum spatium laudabiliter expleverat, ab erat tantum spatium quinque aliorum annorum, quibus Collegiata, italico cogente regimine, suppressa remansit. Urbanien. jubilationis die 16. septem. 1836.

(174. Nominationem ad Canonicatum S. Charoli a Capitulo Basilicae Gaudentianae peractam S. C. irritandam fore declaravit in Novarien. jurispatronatus 13. Augusti ad 4. dub. iterum iterumque causa proposita EE. PP. rescripserunt « in Decisis et amplius. » In eadem die 17. decembr. 1836.

(175. E converso juxta nuperam facti speciem consulendum SSmo pro adprobatione emphyteusis favore Aloysii Bianchi salvo jure vigesima et sextae, rescripsit S. C. In eadem ad 2. Dub.

(176. Canonicis ac Portionariis Collegiatae Noci, ob aeris inclementiam, reddituumque tenuitatem, indultum Choro per tertiarium inserviendi postulanti- bus EE. PP. negativum protulere responsum in Conversanen. Servitii Chori die 17. Decembris 1836.

(177. Orta controversia in Canonicatus de Lanfranchis in Metrop. Ecclesia Pisarum Residentiae onere teneretur, quod nulla in ejus institutione expressa de hoc mentio facta fuerit, Sacer Ordo definivit pro affirmativa ad tramites juris, servata tamen consuetudine quoad chori servitium pro diebus so-

lemioribus, taxata summa pro singulis fallentibus ab Ordinario favore Fabricae Ecclesiae applicandis. Pisana residentiae 2. Jun. 1837. ad 1. Dub.

(178. Cum canonici Cathedralis Casertanae per longissimum tempus optionis jure usi essent, quod Statuto ipsis concessum fuerat, quamvis postea 60. annorum spatio propter temporum adjuncta gravissima uti omisissent, illud adhuc competere responderunt EE. PP.; excluderunt autem ab optione praebendas, quibus dignitas, aut officium annexum esset; ita tamen, ut in mensibus reservatis, et pro beneficiis affectis ab Apostolica Sede provideri deberet praebenda quae optata non fuisset. Casertana Optionis 2 Junii 1837.

(179. Quod autem Canonicatum cum congrua satis praebenda receperit Aloysius Corsini, nec ullam posthac ejusdem redditus passim fuissent imminutionem, servitii chori reductionem denegavit, eidem postulanti, dato responso negative et amplius. Pistorien. reduct. onerum 17. Febr. et 24. Martii 1838.

(180. Cum eadem clausula S. Cong. indulsit precibus Canonicorum Cusentinae Cathedralis ob tenuissimos praebendarum redditus chori servitium de alternativa ad tertiarium reducti poscentibus. Cusentina servitii chori 23 Junii 1838.

(181. Manentibus iisdem circumstantiis S. Cong. prorogationem Indulti quoad imminutionem servitii chori concessit Aquilano Capitulo ad aliud decennium, facto verbo cum SSmo. Aquilana servitii chori 15 Septembris 1838.

(182. Inspectis gravissimo chori servitio, quo tenebantur Canonici Lucerinæ Ecclesiae, nec non utilitate, quam minus gravati potuissent populo Christiano afferre, reductionem quotidiani servitii chori ad alternativam indulsit S. Ordo, exceptis de more tempore Adventus, Quadragesimae, festis diebus etiam reductus, octavis privilegiatis, et festo S. Titularis, jussitque insuper ut Episcopus ad tramites S. Conc. Trid. contingeret distributiones quotidianas, quae inserviuntibus accrescerent. Siquidem his destitui Capitulum constitisset. Lucerina reduct. servitii chori 22 Decembris 1838.

(183. Inspecta satis congrua praebenda, qua fruuntur Canonici Collegiatae S. Michaelis in foro in Lucana civitate, ipsis instantibus pro exemptione a chori servitio diebus 2 et 3 post Pascha, et 2 et 3 post Nativitatem D. N. J. C. nec non ab onere per statutum inducto inserviendi pro Canonico jubilato absente, S. C. nequaquam annuit, dato responso Negative in omnibus. In Lucana Servitii Chori 2. Martii ad 2 et 3 Dub.

(184. Pro Distributionum condonatione, quas Canonicus Theologus Vincentius Anzilotti perceperat Episcopali exemptionis decreto nis ob lectionem Theologiae Dogmaticae, cui in Seminario Piscienensi absque ullo emolumento navabat operam, S. Ordo rescripsit consulendum esse SSmo, attentis peculiaribus circumstantiis. In Piscien. Indulti die 23 Martii 1839, ad 3 Dub.

(185. Postulanti Canonico Theologo Vincentio Anzilotti confirmationem indulti, quo Episcopus ipsi concesserat ut diebus, quibus Theologiam Dogmaticam in Piscienensi Seminario absque ullo honorario tradit, gauderet exemptione a Choro cum distributionum perceptione, EE. PP. attentis peculiaribus circumstantiis, praesertim Seminarii paupertate, et impotentia aliter supplendi, annuendum duxerunt, dato responso affirmative in casu de quo agitur, exceptis distributionibus inter praesentes tantum dividendis usque ad electionem novi Episcopi. In Piscien. Indulti die 23 Martii 1839, ad 1 Dub.

(186. Sacerdoti Francisco Tiberti, qui omnibus a Fundatore praescriptis dotibus instructus a Capitulo Civitatis Castelli ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Tiferni sub invocatione D. Floridi legitime fuerat nominatus, cum nemo ex passive vocatis ex adverso contententibus idoneus reperiretur, S. C. canonicam institutionem dandam esse decrevit. In Civitatis Castelli Canonicatus die 27 Aprilis 1839, ad 1, 2 et 3 Dub.

(187. Iisdem perdurantibus causis, servitii Choralis reductionem ad primas et alteras Vesperas in Festo B. M. Virginis in Caelum Assumptae, et anniversarium Pantano ad decennium impertitam favore Collegii Hebdomadariorum in Parochiali Ecclesia S. M. Majoris prorogavit S. Ordo ad aliud decennium ad formam praecedentis resolutionis an. 1828, mandavitque Emissi Archiepiscopo, ut curaret executionem mentis ejusdem praecedentis resolutionis, de onere quodam novis Beneficiatis imponendo. In Neapolitana reductionis Servitii chori die 26. Januarii 1840. Renunciatio.

(188. Capitulo insalubritate a servitio chori per binos menses abesse concederetur cum privilegio percipiendi interim distributiones quotidianas, stante consuetudine immemorabili, Emissi PP. perpendentes multa in ejus Capituli statutis a S. Canonibus absona contineri, ad bina proposita dubia rescripserunt: Dilata, et Episcopus curet confici juxta Bullam S. M. Pii VII. incipientem *B. Petri Apostolorum Principis* nova Capitularia statuta ad normam SS. Canonum, et S. Concilii Tridentini infra sex menses, quibus confectis certioreret, et causa reproponatur. In Alben. Servitii Chori die 23. Mar. 1840. ad 1. et 2. Dub.

(189. Canonicos Marianum Bartolozzi, et Philippum Nobili, nec non praebendatum Xaverium Spagnoli Ecclesiae Collegiatae Montis Ulmi Firmanae Dicecesis certamen instaurantes adversus Archiepiscopi decretum in S. Visitatione die 13. Februarii editum, quo firmatum fuerat ut sub caducitatis poena Presbyteratus Ordinem susciperent, S. C. attentata Ecclesiae Collegiatae natura, nec non peculiaribus tum Capituli, tum foundationis statutis, decrevit non teneri ad S. Ordines; atque inde ad alias preces ab iisdem porrectas pro dispensatione ab ordinibus suscipiendis, quatenus tenerentur, respondit,

provisum in primo. In Firmana SS. Ordinum die 27. April. ad 1 et 3. Dub.

(190. Vacationes ob passam reddituum immixtionem a quotidiano servitio chori, cui per statutum adigebantur, Canonicis Collegiatae Vallis Montanae concessit S. C. ad duos menses sive continuos sive interpolatos, exceptis festis Solemnioribus, tempore Adventus, et Quadragesimae de licentia Episcopi, et dummodo non abessent ultra tertiam partem. Signina, servitii Choralis et Reductionis 17. Feb. ad 1. Dub.

(191. Capitulum Cathedralis Puteolanae quotidianum chori servitium ad alternativum reduxit per septem annos, adhibito Episcopi consensu, qui veniam ab Apostolica Sede se imploraturum spondit. At, Episcopo morti proximo se nunquam indultum impetrasse confitente, Capitulum tum pro absolute arbitrariae reductionis quoad praeteritum, tum pro reductione choralis servitii quoad futurum ad S. Congregationem confugit, quae data absolute quoad praeteritum, super petita reductione rescripsit — Dilata, et expectetur Episcopus — In Puteolana Reductionis, Servitii Chori 21. Junii 1842. ad 1 et 2. Dub.

(192. S. C. distulit causam servitii chori, qua petebat Michael Luciani Beneficiarius Proto — Basilicae Lateranensis, num non residens mense Octobris posset alios substituere in servitio chori, et quatenus negative; saltem cum gratia ejusdem substitutionis benefi-

CANONICI REGULARES.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Duae Canonicorum Regularium Congregationes, altera nuncupata Lateranensium a Basilica S. Joannis in Laterano, quae potissimum Ravennae florebat, altera Rhenanorum a parvo flumine Rheni apud Bononiam, quae tam Romae quam Bononiae in primis clarebat, antiquis inter se benevolentiae vinculis mutuo devinciebantur, licet habitu, et constitutionibus distinguerentur.

Saviente Gallicae irruptionis procella prisci foederis non obliti adjumentum et subsidium sibi invicem praebere non omiserunt. Pace restituta statim ab anno 1814, opera P. Abbatis Generalis Garofali, Rhenanorum ordo in pristinum redintegratus est; nec multum temporis effluxit, ut etiam ordo Lateranensium restitueretur.

Interim memoratus Abbas cum Lateranensium gratiam amoremque sibi conciliasset in illud maxime incubuit, ut de Rhenanorum et Lateranensium Congregatione unum corpus unaque familia conficeretur. Ad hanc itaque rem approbatio a Sancta Sede impetrata est per Rescriptum datum die 6 Augusti 1819.

In illo Sanctitas Sua praescripsit, ut Capitulum Generale ad hoc celebraretur; decretaeque executionem pro implorata unione E. M. Pacca Cl. M. commisit, ac in posterum « Ordinem Canonicorum Regularium SS. m. i.

cium. Romana servitii chori 23. Junii 1842. ad 1 et 2. Dub.

(193. Ad Canonicatum Pisanae Cathedralis, cujus fructioni Capellanorum Collegium fuerat a fundatore vocatum, dummodo personae adessent septem, designatis qualitatibus pollentes, Magnus Hetruriae Dux Patronus nominaverat Antonium Roncucci, a dicto Collegio extraneum, et dictis qualitatibus destitutum. Hoc autem dispositionem postulante, qua tamen non indigere arbitrabatur, quia cum nemo ex Capellanis singulis volitis qualitatibus donaretur, passivam vocationem silere contendebat: contra vero propugnante Capellanorum Collegio justronatus passivum, corpori concessum, suas exerere vires, quod inter Capellanos duo adessent una tantum, vel altera qualitate destituti; proposito dubio; an et quomodo sit locus dispensationi? S. Ordo respondit: « ad Dominum Secretarium cum SS. mo juxta mentem. In Pisana, Canonicatus quoad dispensationem 9. Julii 1842. »

(194. Capitularibus loci N. expostulantibus, ut temperatioribus anni mensibus, anniversaria celebrare liceret, quae loco valetudini pernicioso et mensibus frigidioribus peragenda erant, S. C. petitam translationem permisit ad alios dies arbitrio Episcopi, et in Tabella apponi jussit, facto verbo cum SS. mo. Conversana Translat. Anniversar. 28 Julii ad 1. dubium.

Salvatoris Lateranensium » vocari voluit: tandem utriusque ordinis res omnes ac privilegia juraque communicavit atque permiscuit.

E. M. Executor in Rescripti Executione jussit de utriusque Ordinis Rhenanorum ac Lateranensium constitutionibus unam dumtaxat regulam quamprimum concinnari, demptis vel additis, quae pro temporum ac circumstantiarum opportunitate addenda vel demenda viderentur.

Hujusmodi Constitutiones S. C. Episcoporum et Regularium exhibitae sunt an. 1840, a Vincentio Tizzani Vice-Procuratore Generali, nunc meritisimo Interamniae Episcopo, commendataeque ab E. M. Pacca Ordinis Protectore. Quae res dum adhuc penderet, P. Abbas Generalis expetivit, ut quasdam, quas proponebat, mutationes discuti approbarique S. C. concederet.

Ceterum quaedam in iisdem Constitutionibus notatu digna reperta sunt. Primo siquidem pluribus locis innui videbatur, aliis quibus in casibus Canonicos Regulares obnoxios non esse censuram Extravagantis Ambitosae. At vero, licet ante Urbanum VIII, aliqua adessent Religiones, quae ab hac lege erant exemptae, decreto tamen memorati Pontificis hujusmodi exemptiones ablatae sunt. Legitur enim in citato decreto: « Omnium rerum et bonorum immobilium, et pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum

dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium, concessionem in feudum (a quibuslibet Ordinibus Regularium moderatoribus) fieri perpetuo prohibet... non obstantibus indultis, privilegiis, quibus Sanctitas Sua derogat. »

Et reapse huic decreto indiscriminatum parent universi Regulares, et quotidie Beneficium Apostolicum in casibus ab illa Extravagante praescriptis implorant. Neque vero ab hoc onere eximere sese poterant Canonici Regulares, quidquid sit de antiquarum Constitutionum privilegiis. Haec enim approbatae fuerunt an. 1592 et an. 1612, cum tamen hujusmodi Urbani decretum an. 1624 editum fuerit, neque Sancta Sedes haec privilegia in posterum impertiri consuevit.

Secundo loco, cum res est de Monachis incorrigibilibus, nulla mentio fit decretorum Urbani VIII et Innocentii XII, quibus ratio praescribitur, quae in retinendo Religioso incorrigibili atque expulsionem obnoxio sequenda sit.

Tertio loco quando sermo est de acceptance novarum domorum vulgo *Canoniche* ideoque de nova earum fundatione, nihil innuitur de praescripto Conc. Trid. Sess. 25, C. 3, de Reg. in quo exposcitur Ordinarii licentia, neque de Constit. *Instauranda* an. 1661, in quo Innocentius X prohibet nova cujuslibet Ordinis erigi Monasteria « absque Sedis Apostolicae licentia speciali... praevia examinatione Congregationis negotiis Ep. et Regul. praeposita. »

Quinque itaque dubiorum formulae E. M. PP. sacrum hunc ordinem constituentibus discussioni suppositae sunt, nimirum: 1. « Se e come si debbono approvare le nuove Costituzione di Canonici Regolari del SS. mo Salvatore Lateranesi? Et quatenus affirmative. 2. Se convenga ammettere le modificazioni proposte dal P. Abate Generale? 3. Se aggiungere, che per le alienazioni de' beni stabili e mobili preziosi si debba stare all' Extravagante *Ambitiosa*, non ostanti gli antichi privilegi? 4. Se esprimere, che per l' espulsione si debba osservare il Decreto de Urbano VIII, e d' Innocentio XII? 5. Se dichiarare, che per l' erezione delle nuove Canoniche debba rimaner ferma la Const. *Instauranda* d' Innocentio X? 6. Se vi sia luogo ad altri cambiamenti? »

E. M. PP. in generali conventu diei 26 Martii 1841, rescripserunt: Ad 1. *Affirmative juxta modum*. Ad 2, 3, 4, 5, *affirmative*. Ad 6. Ad E. M. Praefectum cum E. M. Ponente.

Sanctitas Sua hanc Resolutionem approbavit, ideoque decretum typis editum est. « Romana. — Super approbatione Constitutionum Ordinis Canonicorum Regularium SS. m. i. Salvatoris Lateranensium. »

(2. Episcopus Trojanus, ut recte in Capi-

CANON MISSAE.

S. CONGREGATIONIS RITUM DECRETA.

(1. Cum Abbas saecularis et Collegiatae

tuli Trojani convocatione disciplinae competeret, die 28 Februarii 1838, decretum edidit, quo plura super hac re jubebantur. Sed praesertim in articulo primo statuebatur, quod Capituli Praefectus non potest convocare il Capitolo senza far precedere antecedentemente la schedola affissa per tre giorni nel luogo solito, nella quale dovrà spiegarsi l' oggetto della convocazione, e ad evitare le frodi, che per tale causa possono sorgere, la detta schedola dovrà esser vistata dalla nostra Curia, la quale in occasione di differenza potrà confrontare la data con quella della conclusione capitolare indi risultante: Quamlibet vero decreti violationem suspensio a divinis ipso facto consequi debebat.

Cum vero Trojanum Capitulum ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium appellasset, causa, juris ordine servato, proposita est concordato dubio: « An decretum Episcopi diei 16 Octobris 1838, super convocatione Capituli sit confirmandum vel infirmandum in casu? »

Sententiam affirmativam circa primam dubii partem propugnabat Episcopus ex eo, quod Ordinario jus competat praescribendi rationem, quae a Canonicis in Capitulo congregando sequenda sit Crispig. Vis. Past. 6, 3, § 30, praesertim vero si justa adsit causa Ferrarius V, Capitulum, Art. 1, n. 8. Jam vero justissimas in casu causas id providendi intercedere multis factorum deductionibus evincere satagebat.

At vero replicabat Capitulum istiusmodi jus Episcopo nulla ratione inhærere, ut S. C. Ep. et Reg. in Brandusen. 17 Jan. 1584, ibi: *La S. C. ha risoluto, che il Capitolo sia libero di congregarsi quando vuole, purché non sia in pregiudizio del culto divino, onde non si può obligare a domandare la licenza*. Addebant insuper, quod nequeat Episcopus legem facere, ut in Scheda negotia edicantur, quae in capitulo pertractari oporteat, ut docet Card. Petra Sect. 2, de Solemn. in alienat. rerum Eccles. n. 48, ibi: « An Episcopi licentia requiratur in convocatione Capituli? Dicendum regulariter non requiri, si solitum sit sine illa convocari... si tamen requiratur licentia Episcopi, non tenetur Capitulum declarare, quae negotia agere debet in Capitulo: S. C. Ep. et Reg. in Andrien. 25 Febr. 1603, num. 11. »

Patres E. M. in plenario conventu diei 25 Septembris anni 1840, ad dubium super excerptum responderunt. « Ad primam partem affirmative juxta modum, deleta nimirum obligatione indicendi in scheda negotia de quibus agendum sit in Capitulo, factaque expressa declaratione per appositionem: visa: nullam plane induci necessitatem licentiae episcopalis de convocatione Capituli, nec non ablata poena latae sententiae. »
Trojana: super Convocatione Capituli.

Ecclesiae S. Petri Oppidi de Lerma nullius Diocesis Provinciae Burgensis postularet: 1. An liceret Clero tum saeculari, quam re-